Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Epistulae - Cod. Aug. perg. 52

[S.l.], [9. Jh.]

Hieronimus an Alypius und Augustinus

urn:nbn:de:bsz:31-6736

Visual Library

Dicet ubi sponsus. uox tua suauis est & aspectus tuus speciosus. quapropter consurgentes deprecemur
dominum ut digni efficiamur sponsi sermone. sapientia xpo ihu. cui est gloria & imperium in secula
seculorum AMEN. HIERONIMUS ALYPIO ET AUGUSTINO EPISCOPIS

DOMINIS UERE SCIS ATQUE OMNI affectione ac iure uenerandis alipio & augustino episcopis hie
ronimus in xpo salutem. Scs innocentius presbiter qui huius sermonis est portitor anno prae
terito quasi nequaquam africam reuersurus mea ad dignationem uestram scripta non sumpsit.
Tamen deo gratias agimus quod ita euenit ut nostrum silentium uestris epistolis uinceretis. Mihi enim
omnis occasio gratissima est. Per quam scribo uestrae reuerentiae testem inuocans deum. quod si non posset
fieri adsumptis alis columbae uestris amplexibus implicarer. semper quidem pro merito uirtutum
uestrarum sed nunc maxime quia cooperatoribus & auctoribus uobis heresis [erased] celestina iu [margin: heresis]
gulata est. Que ita infecit corda multorum ut cum superatos damnatosque esse se sentiant. Tamen
uenena mentium non omittunt & quod solum possunt nos oderint per quos putant se libertatem docendi
hereseos perdidisse. Quod autem queritis utrum rescripserim contra libros anniani pseudo diaconi
celedensis. qui copiosissime pascitur ut alienae blasphemie uerba friuola subministret sciatis me
ipsos libros in scedulis missos a sancto fratre nostro eusebio presbitero suscepisse. Non ante multum temporis
& exinde uel ingruentibus morbis uel dormitionem sanctae & uenerabilis filiae uestrae eusthohie. ita doluis
se ut prope modum contemnendos putarem. In eodem enim luto hesitat & exceptis uerbis tinnulis atque emen
dicatis nihil aliud loquitur. Tamen multum egimus ut dum epistolae meae respondere cona
tur apertius se proderet & blasphemias omnibus patefaceret. Quicquid enim in miserabili illa sino do
diospolitana dixisse se denegat in hoc opere profitetur. Nec grande est ineptissimis neniis
respondere. Si autem dominus uitam tribuerit & notariorum habuerimus copiam paucis lugubratiuncu
lis respondebimus. Non ut conuincamus heresim emortuam. sed ut imperitiam atque blasphemiam nostris
sermonibus confutemus. Meliusque hoc faceret sanctitas tua ne conpellamur contra hereticorum nostra laudare. [margin: K]
Sancti filii communes albina pinianus & melania plurimum uos salutant. Has litterolas de sancta bethleem sancto
presbitero innocentio tradidi perferendas. Neptis uestra paula miserabiliter deprecatur ut memores eius
sitis & multum salutat. incolomes uos & memores mei xpi domini nostri tueatur clementia domini uere sancti [margin: domini sancti]
atque omnium affectione uenerabiles patres. EXPLANATIO FIDEI SCI HIERONIMI
AD AUGUSTINUM ET ALIPIUM EPOS MISSA

Credimus in deum patrem omnipotentem cunctorum uisibilium & inuisibilium conditorem. Credi
mus & in dominum nostrum xpm ihm per quem creata sunt omnia uerum deum unigenitum & uerum dei fi
lium non factum aut adoptatiuum sed genitum & unius cum patre substantiae atque ita per omnia
aequalem deo patri ut nec tempore nec gradu nec potestate esse possit inferior. Tantum quae esse
confitemur illum qui est genitus quantus est ille qui genuit. Non autem quia dicimus geni
tum a patre filium diuina & ineffabili generatione aliquod tempus adscribimus sed nec patrem
aliquando coepisse nec filium. Non enim aliter confiteri possumus aeternum patrem nisi con
fiteamur et coaeternum filium. A filio enim pater dicitur & qui semper pater fuit semper habu
it filium. Credimus & in spiritum sanctum deum uerum ex patre procedentem aequalem per omnia patri
& filio uoluntate potestate aeternitate substantia. Nec est prorsus aliquis in trinitate gradus. Nihil
quod inferius superiusue dici possit. Sed tota deitas sui perfectione aequalis est ut exceptis